



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. V. Quanti æstimanda sit animæ, in cælesti patria Deum palàm intuentis, eóque ad plenum fruentis felicitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

CAPUT V.

Quanti æstimanda sit animæ in
cælesti patria DEUM palàm in-
tuentis, eoque ad plenum fruen-
tis felicitas.



*Harissimi (scribit B. Joannes) nunc
filii DEI sumus, & nondum apparu-
it, quid erimus. Scimus, quoniam,
cùm apparuerit, similes ei erimus,
quoniam videbimus eum, sicuti est. (Ep. I. c. 3.)*
Ubi satis innuit, quonam pacto DEI gratia, &
DEI visio invicem differant: nimirum quòd
illa divinæ quidem naturæ participatio est, sed
occulta, & quasi fructus, suo adhuc in semi-
ne delitescens, proin nec tuta à deficiendi pe-
riculo, nec ad plenam se obtinentis felicita-
tem sufficiens. Cùm status visionis eadem
participatio sit, sed pretium suum palàm ex-
hibens, jamque ad plenam maturitatem pro-
vecta, & cui nihil ad tutissimam, & omnimo-
dam beatitudinem desit. Comparares illius
possessorem hæredi legitimo, sed nondum per-
ætatem idoneo ad liberam suorum bonorum
administrationem: hac verò, fruentem eidem
nullis jam obnoxio tutoribus, sed promptum,

ac sub manu habenti hæreditatis suæ usum. Quemadmodum enim prior, ut Apostoli verbis utar, (*Ad Gal. c. 3.*) *Nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium*, impos quippe exercendi usque ad justam ætatem dominii; alter contrà, quovis nexu expeditus, liberrimum in suas res non dominii solummodo, verùm etiam arbitrii jus obtinet; haud aliter, qui Dei gratiâ in terris decoratur, estò verum, atque plenum proprietatis jus super omnia cælestis amici sui bona jam nunc habeat; impeditum tamen, quantum ad usum id habet: nec propterea bonis illis in præsens plùs fruitur, quàm alienigenæ, ac servi. Sed transibit aliquando, transibit hoc puerilis tutelæ, opulentiaque, paupertati similis tempus; quo exacto apparebit coram cælesti curia universa, qualis revera est DEI amicus, & filius similis ipsi evadens, beatitudinis, qua ipse fruitur, participans, liberumque hæreditatis, & gloriæ usumfructum capiens. In summa, proprium divinæ gratiæ est: certissimo tramite ad æternam beatitatem; ducere divinæ visionis, in ea constituere. Prior illius dici radix potest; fructui assimilari posterior. In illa possidendæ cælestis gloriæ jus, in hac ipsammet possessionem habemus: ceu probè animadvertit Chryso-

fologus, justos etiamnum in præsentī vita peregrinos sic admonens: (*Serm. 71.*) *Nemo, cū se filium clamat, manere se miretur in habitu servitutis. Ad divinum germen hodie designatus es, non promotus. Spem, non rem te noveris affecutum.* Licet verò id discrimen fati per se ostendat, quàm immensò intervallò clara DEI visio naturalia quævis bona exsuperet, cū vel ipso supernaturali, excelsissimò, que divinæ amicitæ bono tam longè antecel- lat; juvat nihilominus de illius singulari præstantia seorsum hîc agere, explicando, quoad vires meæ tulerint, summam, incomparabilémque æstimationem, in qua haberi à nobis meretur. Quoad vires meæ tulerint, dixi: neque enim me fugit, tam impossibile esse, pro sua illam dignitate explicare; quàm mortali cuivis linguæ ineffabilis, & creatæ cuilibet menti incomprehensibilis divina pulchritudo est, quæ ibi contemplandam, & fruendam se exhibet. Nam, si à tragico illo Poëta dictum hyperbolicè est, dimidiam orci sævitiam, & horrorem in formidabili Plutonis aspectu consistere: (*Sen. in Herc. fur.*) *Magna pars regni trucis est ipse Dominus; propriissimè dici potest, non pars aliqua, sed tota omnino cælestis regni, gaudiique summa esse ipse Domi-*

nus, in propria sua specie illic intuendum se præbens. Unde consequitur, ut, cum ille objectum sit infinitè pulchrum, & nostrorum omnem sensuum, ac verborum vim longissimè excedens, superiorem quoque nostris omnibus loquendi formis, ac sensibus animarum felicitatem reddat, eo cominus viso fru-entium: ac proinde hoc, teste Augustino, (Tr. 34. in Joa.) *Desiderari possit, concupisci possit, suspicari possit, verbis explicari non possit*: nec alius nobis aptior repræsentandæ illius modus superfit, quàm, si cum Angelico Doctore dicamus, *habere ipsam, ex hoc, quod est fruitio DEI, quamdam dignitatem infinitam, & ex parte non posse aliquid eâ fieri melius, sicut non potest aliquid esse melius DEO.* (1. p. qu. 25. a. 6. ad 4.)

2: Postquam ergo felix ille articulus temporis venerit, quo nostra præsens dignitas manifesta ex propriis suis effectibus fiat; excipiet nos tandem mortali hac peregrinatione defunctos cælestis regia, ineffabilium gaudiorum, securæ quietis, neque unquam desituræ beatitudinis sedes. Et quæ ibi receptis per totam deinde æternitatem vivendi ratio erit? Nempe supremum nostrum Conditorum, Dominum, Parentem, amicum, qualis in se ipso

fo est, infinitè pulcher, infinitè bonus, infi-
 nitè perfectus, assiduè contemplari: & prout
 tanti objecti dignitas postulat, totis viribus,
 toto corde, tota mente, toto spiritu amare:
 familiari, & perpetua illius consuetudine frui:
 illum bonorum omnium bonum pro nostro
 censu, pro gaudendi materia, pro votorum
 fine, pro felicitatis summa habere: pérque
 huiusmodi contemplationem, amorémque,
 & familiarem usum, quantum fas homini est,
 illius similes fieri, veluti sempiterna quædam
 increati solis parelia: imò in ipsum transfor-
 mari penitus, totumque divinum ipsius esse,
 totam perfectionem, totam beatitudinem, &
 quidquid ab eo possidetur, nostram rem face-
 re: adeò ut nos intuens tantò nobis superio-
 res exclamare Psaltes Regius præ admiratione
 cogatur: (Ps. 81.) *Ego dixi, Dii estis, & filii
 Excelsi omnes.* Ità, ità planè est, Hypponen-
 sis Præsul excipit, (Tr. 4. in Ep. Joa.) *Visura
 sumus quamdam visionem, fratres, quam nec ocu-
 lus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis a-
 scendit: visionem quamdam præcellentem omnes pul-
 chritudines, visionem DEI, omnia pulchra superan-
 tem, quoniam ex ipso sunt omnia pulchra. Quid
 ergo erimus, quando videbimus, quod nobis promif-
 sum est? similes ei erimus.* Quomodo potuit, lin-
 gua

gua sonuit : cætera corde cogitentur. O visionem! ô similitudinem! ô transformationem! cui nihil par vel sensu percepimus, vel cogitando imaginari possumus: quæ amplissima nobis erit laborum omnium merces, plenissima votorum omnium satietas, absolutissima totius beatitudinis summa! *Ibi vacabimus, & videbimus, videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus.* En paucis delineatam ab eodem sancto Doctore nostri illius statûs felicitatem; En assiduam, nec unquam non eandem æternæ illius, beatissimæque nostræ vitæ occupationem. *Ecce, quod erit in fine, sinè fine.* (L. 22. de civ. c. 30.)

3. Haud me fallit, posthumam hanc animarum DEO fruendum beatitatem, utpote omnino spiritualem, sensibûsque inaccessam, parùm habituram momenti in quorundam hominum trutina, qui in materia usquequaque defixi, neque aliis, quàm corporeis voluptatibus degustandis assueti, cogitando assequi nesciunt, quonam pacto pura essentia divinæ, objecti nimirum longissimè à materia sejuncti, ægréque etiam intelligibilis visio ita omnes explere appetitus animæ valeat; ut, citra quasvis alias oblectationes sensibiles, una ipsi ad omnimodam felicitatem sufficiat. Imò
eti.

etiam vereri non immeritò subit, nè id genus hominibus inamœnum quid videatur, & tædii plenum, debere ità æternùm vivere sinè ulla præter DEUM gaudii materia: nève beatitudini tam seriæ præhabeant temulentas saltationes, bacchantis lætitiæ tumultus, & reliqua genii delinimenta, unde bruta Epicuri, & Mahometis beatitudo componitur: ratiocinantes videlicet secum, ceu grave nunc experiantur divinis rebus meditandis vacare, contraque jucundissimum corporeo appetitui indulgere; sic, ubi cuncta illius pabula mera DEI visione in cælo mutaverint, tetricam, & insuavem se vitam ducturos: utpote quibus dulcissimo ejus fructu per totam æternitatem carendum, nec alia sit percipienda, nisi, nescio, quæ Metaphysica, & solius mentis propria jucunditas. Usque adeò, ceu clara Dei visio similem nobilissimo illi suo objecto hominem reddit; sic illius è contrario ignorantia in vilissimæ pecudis speciem eundem transformat: efficiens, ut sensus animo foveat nihilo altiores, præstantiorésque suis immundi sensibus: cui non alia est beatitudo, nisi in haræ suæ luto volutari, assiduis helluationibus ventrem laxare, & brutas gutturis cupiditates, quoad possit, explere.

4. Quò

4. Quò igitur hujuscemodi homines tam vecordibus phantasiis ablegatis congruentiorrem aliquam supremæ, absolutæque felicitatis suæ speciem in animo forment, duo hîc demonstranda suscipio, quæ nemini aut arduum sit intelligere, aut possibile, ubi intellexerit, non approbare. Primum scilicet, præter externam hanc pulchritudinem, quæ oculis patet, aliam reperiri solo mentis visu spectabilem, neque tamen primâ illâ minùs, quin multò plùs etiam contemplatu jucundam. Alterum, præter voluptates corporis, quas communes habemus cum brutis, alias itèm esse, unius rationalis appetitùs nostri proprias, & unde nihilo hic minus, imò & longè amplius delectationis haurit, quàm corpus è suis.

5. Et de primo quidem nihil addendum mihi superest ad libri præcedentis doctrinam: in quo satis ostendi pulchritudinis pretium, cum non alibi positum sit, quàm in perfectione ad contemplandum jucunda, haudquaquã solis corporibus, sed spiritualibus etiam substantiis convenire, imò in his tantò esse excellentius, quantò earum perfectio, utpote major, magis contemplantem se oblectat. Unde in promptu cuique est colligere, ceu omni-

no infinita, & quaslibet alias immensum excedens perfectio DEI est; sic usquequaque infinitam, & quibuslibet aliis seu corporeis, seu spiritualibus immensò intervallò majorem illius pulchritudinem esse. Hoc itaque extra controversiam posito, si nemo inter homines est brutæ adeò, stupidæque indolis, ut subtile argumentum, ingeniosam sententiam, miram inventionem, egregium virtutis facinus, vel quamcunque aliam incorporeæ pulchritudinis speciem considerans, nihil indè voluptatis animo capiat; facillimè idem potest ex suo hujusmodi experimento arguere, si spiritualibus iis objectis, tametsi non ultra certum aliquem terminum pulchris oblectandi vis inest; majorem sinè ulla comparatione hanc futuram in divina, quæ omnem modum excedit, pulchritudine, quandocunque illam æquè perspexerit. Præterea fas cuique est, sic secum differere: quodvis seu spirituale, seu visibile objectum quantacunque formositate commendetur, nequit ullo pacto eum oblectare, cui prorsus ignotum, aut valde oblectare, cui parùm, obscurèque cognitum est; sed tantò semper plus, minúsve delectationis affert, quantò clariùs, vel obscuriùs cognoscitur. Si ergo objectum existat, & quibuslibet
ali-

aliis sinè ulla comparatione formosius, & clarissima in luce propositum, dubitari certè non potest, quin sese intuenti summam delectationem sit allaturum. Atqui talis DEUS est: nam illius infinita formositas, & cæteris omnibus sinè ulla proportione antecellit, & à beatis cæli civibus in perfecto lumine gloriæ spectatur. Quapropter nulli esse dubium potest, quin summa jucunditate illos impleat: & quin ego quoque licèt in præsens, quia obscurissimè illum intueor, minimum jucunditatis ex eo hauriam; si tamen ad æquè perspicuam illius visionem admittar, parem jucunditatis fructum ex eo sim percepturus. Quidnam igitur refert, qualem in præsentis meo statu, qui tenebrarum, inscitixque, & cæcitatatis status est, illum experiar? Ineptè nimis facerem, si ex hoc meo potius, quàm ex sinceriori aliorum sensu, cujusmodi re ipsa ille sit, judicandum putarem: ceu ineptum se prodidit, qui pictorem Nicostratum cernens, attonitis oculis in quadam Zeuxidis tabula hærentem percontatus ex eo est, quidnam ibi intueretur tam mirum: dignus idcirco responsi, seu veriùs objurgationis locò audire: *Non id rogares, si meos oculos haberes: (Ælian. L. 14.)* cum omisâ illius interrogandi curâ debuisset

potius sibi dicere, Nicostratus tabulam hanc ideo miratur, quia ut pictor singularem illius elegantiam probè dignoscit. Quam ipse etiam, si pingendi, deque picturis iudicandi æquè intelligens forem, nihilo, ac ille, minus mirarer. Hoc aut simili modo, qui se cum ratiocinari assuescit, seu cuilibet rationis compoti prònum factu est; haud magno negotio à præposteris quibusque de præsentis re imaginationibus mentem purgabit: neque summam DEI pulchritudinem ex tenui illo sensu æstimabit, quo ab illa se affici nunc experitur, quando eam neque cominus intuetur, nec nisi per alienas, & impropriissimas species cognoscit: perinde quasi suo se in lumine aspicientes nihilo plus oblectatura sit, quàm densa in caligine, rudibusque in simulacris noscitantibus oblectet. Sed pro certissimo statuet, quòd ea parùm in præsens jucunda sibi accidat, non aliunde, quàm ex sua inhabilitate, imperfecta nimirum cognitione illius fieri: sique ad eam non jam amplius *per speculum, & in ænigmate*, sed Cælitum instar *facie ad faciem* contemplandam admitteretur; nihilo se minus, atque ipsos ex jucundissima illa specie dulcedinis, perfectæque beatitudinis hausturum.

6. Altera item propositio, qua statuitur, nostram rationalem naturam, præter voluptates corporeas, aliarum quoque esse profus spiritualium capacem, inultoque his, quam illis jucundius expleri, demonstratu facillima est: nam quæ, rogo, in familia, vel republica aliqua contigisset unquam bonorum distributio minùs æquitati conveniens; quam si supremus universitatis Rector, & humanarum sortium arbiter, appetitum sensibilem, partem nostri infimam, & servituti destinatam, communemque nobis cum pecudum vulgo, ampliori delectationum copia, & fruendi capacitate instruxisset; quam appetitum rationalem, qui ipsius imago est, inque nostro hoc microcosmo partes Domini agit? Hujusmodi certè inæqualitas absurdior longè illà foret, quam miratus est Salomon, cum viderat (*Ecl. 10.*) *Servos in equis, & Principes ambulantes super terram, quasi servos.* Neque si majorem Deus curam satisfaciendi appetitionibus corporis, quam animi præsetulisset, exigeret à nobis, ut nulla cupiditatum illius ratione habita huic duntaxat gratificari, & morem gerere studeremus. Sed procul sunt à sani cuiusque hominis mente vanissima isthæc deliria, clamat Doctor Angelicus. (*1. 2. qu. 35. a. 5.*)

2. 5.) Cùm enim omnis delectatio ex notitia possessi alicujus boni oriatur, tantòque propterea vehementior semper fit, quantò bonum vel majoris pretii est, vel cognoscitur plenius, vel perfectius possidetur; ex unoquoque trium hujusmodi capitum manifestè apparet, quæ animo percipiuntur voluptates, plus habere, quàm quæ sensibus blandiuntur, dulcedinis. Apparet ex primo, nempe ex boni magnitudine: cùm neminem lateat, quantò pretii intervallò sensibilibus bonis spiritualia antecellant. Apparet ex altero, nempe ex cognitionis præstantia: cùm majorem intellectui, quàm sensibus sua objecta percipiendi vim inesse compertissimum sit. Apparet demum ex tertio, ex perfectiori nimirum possidendi ratione: cùm sensus in externa solùm boni sui superficie hæreant; mens verò totam bonorum, quibus fruitur, essentiam pervadat, eaque magis præsentia habeat, & penitius possideat.

7. Hæc autem demonstratio, fati cæteroqui per se ipsam evidens, plus adhuc firmitati, & perspicuitatis accipit ex communi hominum sensu: quos incorporeis quibusdam bonis, eximia nimirum sui nominis celebritate, vel peregrinæ alicujus, nec ulli pri-

dem notæ veritatis scientia, multò capi, afficique jucundiùs, quàm quibuslibet sensuum delinimentis videmus. Æquam enim inter corporis voluptates esse credimus, cui Annibal renuntiaturus libentissimè fuerit, dumòdo per illius abdicatationem Româ sibi contigisset potiri: aut qua pluris non faceret sua Archimedes geometrica inventa, suam Columbus, ex novo orbe patefacto navigantibus gloriam, suas Scipio, Themistocles, Alexander Macedo, & Julius Cæsar militares adoras? Certè de Astylo, Diopompo, Icco Tarentino, pluribusque aliis Athletis memorat Plato, eos, quò plus virium, atque habitudinis retinerent ad Olympicas palmas, (L. 8. de Leg.) *Nullam unquam toto exercitacionis suæ tempore Venerem cognovisse.* Qui profectò neutiquam sibi severam adeò temperantiz indixissent legem, nisi dulciorem quavis etiam maximè illecebrosa corporis delectatione experti essent gloriam eminendi in totius Græciæ theatro super omnes suos æmulos artis, viriùmque præstantiâ.

8. Quod si, ùt constat ex dictis, voluptates animi propriæ, quamvis merè naturales, neque ex altiori bono, quàm ex illustri apud homines fama, vel rerum creatarum intelli-

gen-

gentia profluentes, plùs corporeis quibusque voluptatibus sapiunt; argumentum hinc quilibet capiat, quantò illa sit sapidior dicenda, quæ summa inter voluptates animi est, nempe quàm beatæ cæli mentes ex DEO cominus viso hauriunt. Nam & bonum, quo fruuntur, sensibilia, & spiritualia quævis bona incomparabili exuperatione transcendit; & per infusum sibi divinitus gloriæ lumen meliùs id agnoscunt, quàm sensus, aut mens naturali sua virtute bona, quibus fruuntur, pernoscant; & illius demum possessio in supernaturali visione, & amore consistit: qui actus perfectissimè animam cum divino suo bono jungunt, imò & totam in ipsum transformant; adeò ut de illa, cum DEO sic permista, & ad unitatem quamdam potiùs, quàm conjunctionem evecta, affirmari meritò possit: *Qui adheret Domino, unus spiritus est.* (1. ad Cor. 6.)

9. Sed quid ego posthumam illam duntaxat summi boni possessionem commemorò, in qua certissimum est perfectam hominis beatitatem consistere: de qua proinde dubitari minimè potest, quin omne aliud voluptatis possibilis genus quàm longissimè excedat? Imò tam immensum DEUS est bonitatis, &

dulcedinis pelagus, ut non solum plena illius in caelo satietas, sed vel exigua in terris gustatio satis, superque sit ad fastidiendum, proque insulso aspernandum, quidquid ex creatis omnibus bonis eliquari, exprimique dulcedinis potest. Et, si id mihi non creditur, credatur saltem B. Angelæ de Fulgineo, quæ profitetur, cum nullis terrenis delectationibus commutatum à se iri voluptatem ineffabilis cujusdam illustrationis circa DEI essentiam, licet non diutiùs, quàm oculi nictus perduret, ab eo sibi impertitæ. (*In vita vis. 8.*)

Credatur Joanni Baptistæ Sancio, præstanti in nostra Societate DEI famulo, qui contestatus Moderatori suo est, si, quidquid gaudiorum terrestrium ab humano genere universo divisim percipitur, in unum quasi cumulum colligeretur, æternique temporis spatium duraret; nihil se dubitaturum illi anteferre, quod vel unico horæ quadrante ex suis ipsorum divinarum contemplationibus gaudium ducebat. (*In vita P. Balt. Alvar. c. 17.*)

Credatur D. Terefiæ, quæ in vita sua à se conscripta de dulcedine verba faciens, quæ DEUS lectiores quosdam suos servos perfundere interdum consuevit: *Dulcedo est, inquit, delectationibus universis, quæ gustari in terris, vel*

in-

intelligi possunt, adeò superior, ut earum meritò fastidium pariat. Nausea est illas, si forent eterna, cum his comparare, quas DEUS animo infundit: tametsi hæ quoque non nisi gutta amplissimi illius fluminis sunt, quo in caelesti felicitate satiaturnos nos est. Et alibi: (Vitæ c. 27.) Habeant sibi sanè addicti mundo homines suas opes, sua dominia, suos honores, suas delicias. Quamvis enim bonorum hujuscemodi gustus nullis temperaretur, ceu necessariò temperatur, molestus; nunquam tamen, vel mille annorum spatio ex iis gaudium percipient par uni momento illius gaudii, quo anima à DEO huc evecta perfruitur. Si D. Paulus negat, condignas esse quascunque passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; condignas ego esse, & satis per se idoneas negaverim, ad promerendam vel horulam illius delectationis, quam DEUS hic elargitur.

10. Adde huc majoris evidentia gratiâ, quòd, cum inter voluptates corporeas, quæ vehementissimæ sunt, eadem mentis lumen maximè obscurent, rectæque rationi apprime adversentur, si nulla iis par existeret spiritualis voluptas, sequeretur hinc, à nemine jucundio rem vitam actum iri, quàm ab eo, qui brutarum instar pecudum vivat: ac proinde impotem perfectæ beatitudinis acquirendæ

hominem fore, ceu impostunc esset honestatis, & virtutis cum summa voluptate in animo suo copulandæ. Imò hinc præterea sequeretur, nequaquam DEUM posse sibi rite obsequentibus gaudii, & jucunditatis fructum tribuere illi parem, quem ipsius perduelles ex improbitate sua capiunt. Juvat id circa unum quempiam ex hisce voluptatum sensibilibium mancipiis sic alloqui. Nullam te, inquis, experiri, aut fingere animo delectationem posse cum ea comparandam, quæ in explendis sensuum cupiditatibus percipi solet. Cedo jam, unde isthæc sensibilibium cupidinum pabula tantam delectandi vim habeant? Non aliunde profectò responderi potest, quàm ex DEO, naturæ totius unico opifice. At quid, rogo, causæ erat, cur DEUS omnium jucundissimas, maximèque expetendas actiones eas faceret, quarum usu promiscuo propter innatam illius turpitudinem severè nobis adeò interdixit? Aut quomodo, si hanc illis suos perduelles oblectandi vim tribuit, pari saltèm virtute ad suos ipse amicos beandos non polleat? Profectò credi non potest, illum præcipuam felicitatis partem iis assignatam voluisse, quos nequitia suæ merito oderat, neque intelligi, quonam pacto plus dulcedi-

nis

nis extra se profuderit, quàm intrà semet ipsum contineat. Quantò igitur corporeæ voluptates te jucundiùs oblectant, tantò indè luculentius potes spiritualium exuperantiam arguere: in hunc modum differens tecum; si DEUS homines impios, & pravaram libidinum studio sua jussa detrectantes, tam sapidis frui voluptatibus finit; quantò sapidiores dicendus est iis reservare, qui, ut divinam ipsius legem factam tectam tueantur, assiduum exercent cum corpore, & corporeis libidinibus bellum? *Cùm hìc tam præclara justis pariter, & injustis tribuat, qualia sunt putanda, quæ justis reservat? Quàm magna rependet bonis, qui tam multa largitur ingratis? Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem?* (Euch. Ep. ad Valer. & Aug. L. 2. de Civ. c. 24.) Ullumne patrem familias reperire est, qui geniale convivium cum amicis, & liberis celebrans optima eduliorum inhianti juxta mensam molosso projiciat, solo sibi, & secum discumbentibus cibario pane seposito? Quin potius sese, & convivas paratis ferculis explens, nil præter ossa, & inutiles ciborum reliquias esurienti bellæ impertitur: quæ, si ratiocinandi compos esset, canina illiusmodi pabula avidè cir-

cumrodens, ac devorans ex voluptate, quam
 ibi experitur, tale posset argumentum elicere:
 cum tam sapida hæc sint, quæ ab hero mihi
 projiciuntur, mensæ analecta; quantò lauti-
 ores esse oportet cupedias, quibus ipsemet
 cum suis familiaribus vescitur? Argumentum
 profectò, cui simile à quovis deditorum cor-
 pori hominum, modò plus cane mentis ha-
 beat, facillimè potest de suis, deque beatorum
 Cælitum voluptatibus confici. Quanquam er-
 go, cum immensam earum dulcedinem ex-
 pertus nunquam fuerit, ægre animo concipit,
 quales demum sint, quòve pacto omnia sensu-
 um oblectamenta prætergredi valeant; debet
 tamen rationis evidentiâ experientiæ defectum
 supplere: neque dicere, ego nihil novi sua-
 vius, quàm indulgere appetitionibus corpo-
 ris. Hac igitur suavitate satis mihi est frui:
 cæteras verò spirituales, ac divinas, quas ne-
 que gustavi unquam, nec cujuscumque sint, sa-
 tis percipio, puris cæli mentibus libens relin-
 quo: sed hac potius saniori ratione secum de-
 bet differere: Quamvis delectationes Cæli-
 tum propriæ sensus meos penitus lateant, ni-
 hilominus tamen, cum ratio evidenter de-
 monstret, eas his mihi notis, & familiaribus,
 longissimò intervallò antecellere; æquum sa-
 nè

nè est, ut tales esse procul dubio existimem, totòque animi studio ad earum assecutionem ferar, & præ illis, quascunque etiam sumas, terreni mei statûs pro nihilo habeam. Non aliter, quàm ruricola aliquis, licèt nullum unquam sapidiorem cepis cibum gustâsset; non tamen has propterea censeret quibusvis etiam regalibus epulis saporis prærogativâ antestare: neque, si ad illas fortè invitaretur, se convivam negaret, respondens, tugurioli sui cepas sibi abunde sufficere, nec videre, quid melioris obsonii apud principalem mensam sit reperturus: sed, nisi obtusiore iudicio, quàm palato esset, persuasum quàm firmissimè haberet, ut ut inexplorata sibi sit dapum regiarum suavitas; tantò illas tamen familiari suo victu delectabiliores esse, quantum augusta iis vescentium conditio rusticani sui statûs ignobilitatem transcendit.

II. Sequitur porrò, ut, cùm crassioris, ac terrenæ mentis homines ad ineffabile divinæ visionis gaudium aliquatenus cogitatione apprehendendum præparaverimus, eos jam fontes indigitemus, unde illud in Cælitum animos profluit: iique sunt infinita DEI pulchritudo, & beatitas: objecta ambo ad plenè beandos, qui se cominus intuentur, aptissimi.

ma.

ma. Nam primò, quàm proprium pulchritudinis sit spectatores suos delectare, extraque se quodammodo rapere, & in sui contemplatione jucundissimè defixos tenere; nemo esse testis locupletior ipsismet profanis hominibus potest: qui, si obviam fortè habeant venustiore communi modo faciem, mira quadam dulcedine compleri sibi animū sentiunt, neque ullum finem faciunt in illius obtutu hærendi, cæterarum interim rerum, & sui prorsus immemores. Si ergo venustas corruptioni obnoxia in mera corporis superficie apparens, intraque certum aliquem perfectionis suæ gradum, ac modum finita, tantam nihilominus oblectandi se intuentes vim habet; colligatur hinc cum Platone (*In Conv.*) quantò rapaciores illecebras habere censenda sit, quantòque plus dulcedinis in suos spectatores diffundere æterna, immutabilis, in ipsamet substantia consistens, omnibus suis numeris absoluta, nullisque includi, ac determinari limitibus se patiens DEI pulchritudo, flos nempe integerrimus, unicūque, & infinitè perfectum exemplar totius pulchri possibile? *Quis satiabitur, videns gloriam ejus?* (*Eccl. c. 42.*) Quale plenissimum, sempèrque recens, & satietatis expers gaudium extam

tam incomparabili objecto animus hauriet? Quàm jucundo stupore illud primò intuens absorbebitur? Quanta cum aviditate satur, & simul esuriens per totam æternitatem intueri illud perget? In summa: *videbit, & affluet, mirabitur, & dilatabitur cor ejus?* Desunt sanè verba ori, ad dignè exprimendam rei magnitudinem: & desunt menti vires, ad eandem plenè assequendam. *Id igitur quisquis videt, (audiamus, quid de illa Ethnicus sapiens sentiat, ac scribat) quanto flagrat desiderio in unum congregiendi? Quàm mirabilem voluptatem cum stupore permiscet? Profectò sic naturà comparatum est, ut, qui nondum videt, ipsum appetat tanquam bonum: qui verò jam videt, oblectetur, ut pulchro, & admiratione, ac voluptate impleatur. (Plot. En. 1. L. 6. c. 2.)* O visio sanè beatissima! visio, quævis digna sumptu emi! visio, ad tartari ergastulū in cælestem regiam transformandum sufficiens! visio, qua majus præmium DEUS nequit suis servis persolvere! visio, quæ ultimus finis, & tota nostræ rationalis naturæ beatitudo est. Visio demum, quæ sui participes supra hominum conditionem, naturamque evehit! Quemadmodum ex iis Apostoli verbis de DEO, (*1. ad Tim. c. 6.*) *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest,*
D. Au-

D. Augustinus colligit, scribens: *Videri Trinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur, quo qui vident, non jam homines, sed ultra homines sunt.* (De Trin. L. 1.)

12. Sed quoniam de hoc argumento fusè alibi scriptum à me est, eò Lectores ablego, novamque demonstrare voluptatem aggredior, quæ ad inebriandos Cælitum animos, & suavi demergendos naufragio, ex altero memoratorum suprâ fontium, perfectissima scilicet DEI beatitudine exundat: voluptatem profectò nec minùs jucundam priori, quæ ex divinæ pulchritudinis visione derivatur; nec difficilem captu, tanquam cæteris omnibus infinitò penè intervallò majorem. Contemplans quippe anima non jam in obscuris, ceu nunc, ænigmatibus, sed in vera sua specie supremum universitatis totius Conditorum clarissimèque perspiciens, quàm ultra omnem modum pulcher, ac beatus sit; quinam, rogo, poterit vel non amare eum super omnia ob infinitam suam pulchritudinem, vel tanto amore illius flagrans, non simul par gaudium de infinita ejusdem beatitate concipere? Haud equidem poterit. Nam neque summa pulchritudo coràm potest, ac germana in sua specie videri, quin ardentissimum in vidente a-

mo-

morem sui pariat; & proprium amoris veri est, com̄unia amanti facere illius bona, quem amat; adeò ut nihilo de iis minùs, quàm si à se possiderentur, gaudeat. Quapropter, cùm anima DEUM cominus intuens dulci quadam, sed efficacissima necessitate urgeatur, ad eum plùs quibuslibet aliis objectis, imò & plùs ipsa se amandum: necesse procul dubio est, ut ità illum amans, suam quodammodo faciat infinitam illam bonorum omnium pulchritudinem, qua eundem frui videt: nec proinde aliter de tanta illius beatitudine exultet, quàm si eam ipsamet revera obtineret, ac beata indidem foret. Si ergo ità comparatum naturâ est, ut cujusvis boni possessio delectet, tantòque delectet magis, quantò majus est bonum; justus quilibet rerum pensitator hinc colligat, quantum delectationis percepturus sit, qui amoris flagrantissimi vi suam rem, ac possessionem effecit totum illum perfectionũ, divitiarũque, & bonorum omnium cumulum, quo usque perfruitur, ac beatus est DEUS. Infinitam penè dixerim, &, si ità loqui fas esset, plùs quàm infinitam illius delectationem futuram. Cùm enim omne gaudium ex amore originem ducat, suæque propterea huic causæ respondere secundum magni-

gnitudinem debeat, adeò ut plùs semper gaudeat de illius bono, qui impensius amatur; quoniam pacto non infinitum quodammodo, & plùs penè quàm infinitum videri possit animæ gaudium, quæ plùs se ipsa DEUM amans plùs gaudebit quodammodo, suam à DEO possideri infinitam beatitudinem, quàm gauderet, si eandem ipsamet possideret. Finge animo, tibi uni possidendum, ac fruendum concedi, quidquid divitiarum, voluptatum, honorum, sapientiæ, potentix, & cujuslibet alterius boni, universis tam hominibus, quàm Angelis divisim possidere contigerit. Mox, ubi animadverteris, quàm impensè de tua illa singulari adeò felicitate tunc exultares, pro certissimo statue, plus sinè ulla comparatione voluptatis, & gaudii percepturum te in cælo ex propria, nativæque DEI beatitudine. Idque ob duplicem causam: Alteram scilicet, quia omnis illa tot bonorum congeries, qua tunc fruereris, vix nihilo videri major potest, si cum iis comparetur tantò excellentioribus bonis, quibus infinita DEI beatitudo constat, quæque pro gaudendi materia tu habebis. Alteram verò, quia veluti multò plùs in cælo amaturus DEUM es, quàm te ipsum; ità etiam multò ampliùs de ipsius bonis, quàm de
iis,

iis, quæ à te possidebuntur, lætaberis. *Quoniam, quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet; sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione DEUM, quam se, & omnes alios secum; ita plus gaudebit absque estimatione de felicitate DEI, quam de sua, & omnium aliorum secum. Sed, si DEUM ita diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis; profectò sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.* Ità ratiocinatur D. Anselmus, (*Prosol. c. 25.*) concludens, immensam adeò fore hominis jucunditatem, qui ad DEI visionem admissus taliter eum amet, deque illo gaudeat, ut non totam solummodo completura suo nectare illius animam sit, sed veluti longè ipsâ amplior, nec potens finitum intrà sinum concludi, totam pariter undecunque ambitura: quem admodum mare totam intus replet, & totam undequaque alluit spongiam in sui medio nantem. Quod etiam olim corporatum DEI verbum expresserat, tum apud D. Lucam, ubi de beatitudine loquens, justis in cælo animabus parata, ejus mensuram non *confertam, & coagitatam* solummodo, verùm etiam *superes-*

G

flu-

fluentem (c. 6.) vocavit; tum apud D. Matthæum, ubi unumquemque justorum invitat, non utique ad cælestis suæ gloriæ dulcedinem intrâ se recipendam, sed ad sese veriùs intrâ illam demergendum, quasi in pelagus sua capacitate amplius. *Euge*, inquit, *serve bone, & fidelis, intra in gaudium domini tui*: (c. 25.) ultimis hisce verbis rationem quoque indicans, cur anima intratura potiùs in gaudium, quàm exhaustura illud sit. Quia nempe, cum id gaudium nequaquam Angelorum, vel hominum, sed *Domini gaudium* vocetur, illamque beatitudinem significare videatur, quam ex sui cognitione, & amore DEUS trahit; fas quidem DEO est totam sui hujusce gaudii immensitatem capere: at nobis finitum esse sortitis haud licet, nisi in eam nos immergere suavissimo ibi naufragio usquequaque obruendos. *O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te?* suspirans ille DEI amator dicebat. (*Solil. c. 31. inter opera D. August. Tom. 9.*)

13. Quas veritates quisquis probè introsperit, neutiquam sanè poterit, non longissimè super omnia præsentis vitæ bona æstimare tam divini, immensique magnitudinem boni:
aut

aut ità illam æstimans, non experiri solitos indè consequi effectus, ac nominatim hos quatuor, quos jam ego subjiciam, ad quos ceu potissimum prædictæ æstimationis fructum, connitendum cuique est, ut nè vulgarem intrà modum, sed cum excellentia, & quàm maxima cum perfectione in se ipso producat. Primus est animi præparatio, & facilitas ad quoscunque sumptus pro cælestis regni beatitudine, & gloria libentissimè faciendos: adeò ut præ tam incomparabilis thesauri desiderio *vendat universa, quæ habet, & emat illum*: contemplaturus deinceps, quoad perduret æternitas cum incredibili, sempèrque recenti voluptate, totum in propria sua specie oculis patens, supremum DEI esse, incomprehensibile miraculorum theatrum, inimitabilem pulchrarum rerum omnium, quæ vel extiterint, vel existere possint, ideam, ipsamque adeò nullis seu contractam specialibus differentiis, seu certis terminatam limitibus, purissimam, universalem, & omnimodam pulchritudinem: cujustam miræ contemplationis vi totus in DEUM transformabitur, infinitorum omnium, quæ ab ipso possidentur, bonorum particeps fiet, imò ipsummet, plenissimam totius boni possibilis summam, pro

hæreditate, ac possessione sua habebit, eadẽque, qua beatus ille est, perfectissima beatitudine æternũ fruetur: secundũ ea Christi Domini ad fideles quosvis suos famulos verba: (Luc. 22.) *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* O sortem, qua nihil fingi præclarius, proque cuius acquisitione nulla impensa non vilis, nullus censei possit labor non levis! *Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro ea, quasi nihil despiciat eam.* Minimum fanè, minimum foret, comparandæ illius gratiæ, quidquid possidetur facultatum, & censuum offerre: minimum humanæ omni gloriæ, existimationi, ac dignitati nuntium remittere: Minimum quibuslibet voluptatum illecebris, & sensuum blandimentis genium fraudare. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Ad Rom. 8.) Etsi opus foret centenũ annorum spatio ærumnosiores vitam ducere, quàm in suo Jobus fimeto, vel in sua Simeon Stilites columna, vel suorum inter corporum cruciamenta universi Martyres duxerint; quidnam, rogo, temporariæ hujusmodi perpeffiones sunt ad sempiterna illa gaudia? *Quidve habere proportionis unum tri-*

triste sæculum cum innumerabilibus felicissimis sæculis potest? statuamus ex aduerso hinc mala, quæ timere à rebus creatis possumus; bona indè, quæ immensa, & omnipotens supremi rerum omnium Domini liberalitas nobis promittit: hinc annos quotcunque mortalis vitæ nostræ cursus recipit; sæcula illinc, quæcunque intrà immensum suum orbem æternitas continet; aliudne juxta D. Paulum fecerimus, quàm ut *momentaneum, & leve tribulationis æterno gloria ponderi* opponamus? Nescit profectò, quàm immensi pretii bonum sit DEUS; cui videtur, posse ille nimium à nobis exigere, tametsi millies amplius pro æterna in cælo sui possessione exigeret, quàm re ipsa nunc exigat. Quæ rite ex Laurentio, ex Clemente Ancyrano, & aliis illorum quolibet, qui plura in terris, & graviora pro Deo pertulêre, num satis remunerati ab eo sint, nimium se expendisse pro illius visione arbitrantur, num qua impensi pro emendo illo pretii pœnitentia tangantur. Quarum hinc expensarum, respondebunt, cujus pretii fit mentio? si loquendum pro rei merito est, donavit se nobis, haud venundedit DEUS. Quidquid fecimus, vel passi sumus, ut eum nobis liceret in cælesti gloria videre; minùs longè

est, quàm si quadrantem pro amplissimi regni possessione expendissemus. *Ecce, quantum pretium dedimus: quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos, siliquam laboris ad requiem incredibilem. (Aug. in Ps. 93.)* O si degustare vobis vel ad temporis punctum liceret, quàm ineffabilis gaudii res sit, Deum in se ipso contemplari, illiusque contemplatione, & amore mentem explere, ut non leve duntaxat, sed nihilo simile existimaretis, quidquid asperi, & duri tolerandum in terris pro illo est? *Tanta est pulchritudo, & jucunditas lucis æternæ, ut, etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm unius diei morâ; propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum meritò contemnerentur. Neque enim falsò, aut pravo affectu dictum est: Melior est dies una in atriiis tuis super millia. (Aug. L. 3. de Lib. Arb. c. 25.)* At, si id nunquam gustastis, æquum est saltèm, ut nobis jam dudum gustantibus fidem præstetis: donec & vobis quandoque proprio gustu experiri idem liceat. Quod ubi DEO aspirante evenerit; quemadmodum in supremo illo ente perfectiones aspicietis, infinitò admirabiliores, & delectabiles magis, quàm nostro ex relatu valeatis concipere; sic multò illi ju-
sti.

stius dicetis, quod Austri Regina Salomoni olim dixit: (L. 3. Reg. c. 10.) *Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audiui.* Talis, inquam, erit illorum, si de cælesti sua sorte interrogentur, responsio. Et profectò D. Terefia, cùm DEUS aliquando extraordinario in lumine ipsi ostendisset, quantum jucunditatis ex claro sui aspectu beatæ cæli mentes percipiant; adeò nihil pretii earum existimavit, pro illa, non dicam comparanda, sed vel tantillum augenda; at, si optio sibi daretur, seu perferendi usque ad extremum iudicii diem, quidquid ærumnarum tolerare vita hominis potest, dummodo unicum indè acquireret ulteriorem beatitudinis gradum; sive hanc citra ulla perpeffiones, verùm aliquantulò minorem consequendi, nihil dubitaturam se affirmet, prædictum omnem malorum cumulum pro quantulocunque incomparabilis illius boni incremento subire, &, quoad mundi ætas tenderetur, perferre. (Rel. Vit. c. 33.)

14. Neque seu minoris momenti, seu ex rite intellecta divinæ visionis jucunditate minus facilis sequi est alter effectus, generosa nempe omnium, quæ vulgus in terris miratur, contemptio, veluti recularum nihil habere pretii merentium in æstimatione hominis, qui summum illud bonum altè impressum animo gerat, illiúsque possidendi, atque æternùm fruendi gratiã, creatum se noverit. Qua enim ratione hic perturbari, commoverique vel minimùm possit, quòd in imo hoc rerum pereuntium theatro improbos ad honorum, potentiæque fastigia evehi; justos contrà indignè vexari, ac pedibus proteri videat: perinde quasi hujuscemodi sublevationes, dejectionésque, eventus brevissimi temporis plaris essent, quàm ludicra fictæ alicujus tragædiæ spectacula? Aut quomodo exaggeratum, splendidissimùmque aliquid repræsentare ipsius oculis queant, terrenæ illa fortis decora, quibus instructi, se circumspicere, & venerationi esse intuentibus solent: ceu superba palatia, vestium, & deductionum pompæ, honorum insignia, populares plausus, deliciarum, & luxuriæ instrumenta? O palatia, ipse inquiet, pro formicarum caveis, & rusticanis tuguriis habenda, si cum cælesti pa-

rata mihi regia in comparationem vocentur. O pompas, & fortunæ apparatus, nihilo vanis scenarum repræsentationibus æstimabiles magis. O plausus, & titulos, nihil præter inanem sonitum continentes, & thuris suffumigationibus, levissimo quovis flatu disjicendis perfumiles. O delicias, & voluptates, ægrotantium veriùs pharmaca, quàm sincera bene valentium oblectamenta. Miretur hæc bona, qui nihil novit meliùs. Acquiescat in hujusmodi felicitate, qui nullam expectat majorem. Ego, cui DEUS pro honoribus, pro deliciis, pro regno, proque alio quovis vitæ fructu promittit se ipsum: nimiùm quantum à meæ conditionis excellentia desciscerem, si bona incomparabiliter minora, non dicam admiratione, & invidia, sed vel simplici obtutu dignarer. Quid mihi Crassos, Augustos, Scipiones, Aristoteles, & alia id genus crepatis nomina, opum affluentiam, imperii amplitudine, armorumque, & literarum gloriam inprimis per orbem conspicua? Ego, qualiscunque in præsens sim, adeò terrenis facultatibus vacuus, adeò humilis genere, adeò tardus, atque hebes ingenio, adeò nullam potentiam, doctrinæque prærogativam insignis, prout me esse intuemini, exigui post temporis

spatium, multò illis omnibus celsior evadam; quàm me illi nunc antecellant. Tantò præstabilior forte illorum mea est, quantò DEUS, quo fruiturum me spero, terrenam omnem eorum felicitatem, atque gloriam excedit. Nemo me æstimet de servi persona, quam invariabili hoc fero præsentis ævi theatro, sed de illa tantò splendidior, quam in immutabili æternitatis statu impositurus mihi est, dummodo ipsi fidelis permaneam, cælestis Regnator. Pomiferæ arbores, quamvis per hyemem nulla frondium viriditate, atque pompa spectabiles, ratione tamen fructuum, quibus suo tempore exuberant, majore sunt in pretio; quàm myrthorum, laurorumque sterilis viror. Neque ullus est, qui magni Principis filium, non feliciorum etiam in puerili illius ætate arbitretur, ob jus succedendi in sortem paternam; quàm privatum quemvis patremfamilias ob præsens, ac liberum tenuioris suæ fortunæ dominium. Quid ergo, mi anime, splendidum potes in terris, & magnificum ducere? Magistratum fasces? militares Ducum adoras? Regum opes, majestatem, potentiam? Ah nihil in his est non exiguum, nihil non humile præ illa summi boni possessione, in quam genitus est, quæque

que brevi æternum obtinenda te manet. *Sursum, sursum corda?* Alia excelsiora multò objecta versari tibi ante oculos debent. Degeneras à nobilitate tui statûs, si cogitare quidquam potes, nisi supernaturale, æternum, cæleste, infinitum, divinum. *Quis de plebeo censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit. Quid cum terra illi, qui possidet cælum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? (Chrysol. serm. 25.)*

15. Jam verò, cum constet, summam, de qua loquimur, beatitudinem cuivis, eam ferriò appetenti, præparatam esse; necesse porriò est, in quovis recto illius æstimatore, quasi tertium, maximèque congruentem effectum, perpetuam, quoscunque inter casus animi hilaritatem existere. Quidquid enim adversi, molestique ingruat, fat compertum ille habet, brevi desitutum, &, quamvis ad mille sæcula permaneret, comparari neutiquam posse cum immenso, æternique temporis gaudio, quod ex clara DEI visione in cælo percepturus est. Quapropter contemplans è medio urgentium se malorum, ceu Protomartyr olim Stephanus inter horridam saxorum grandinem *cælos*
aper-

apertos, & Jesum stantem à dextris DEI, qui ad beatissimæ illius sedis gaudia peramanter se invitat, ex infiniti, vicinique boni spe jucunditatem animo haurit, præ qua omnis infortuniorum præsentium amarities nihil videri aliud possit, quàm absynthii gutta in nectaris pelago. Tantùmque ab adversa forte querelis, & jurgiis incessenda abest, ut de illa sibi potius, tanquam de fœcundo ulterioris beatitudinis semine gratuletur, cum Gentium Apostolo hilariter canens: (2. ad Cor. 7.) Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Agedum, volutent se, ut libet, Sardanapali, atque Epicuri, paucis hisce præsentis vitæ annis in immundo suarum libidinum cœno. Ego autem introibo in gaudium Domini, illo per solidam æternitatem satiandus purissimo, summéque delectabili bono. Glorietur Assuerus, & Nabuchodonosor de tanta orbis parte suæ ditioni subjecta, deque tot populorum, ipsos quasi terrena numina venerantium obsequiis. Mihi verò fas erit propediem videre DEUM Deorum in Sion, perque hanc visionem in ipsum transformari, & ejusdem cælestis regni immortalis gloriæ, atque immensæ beatitudinis participem fieri. At interim omnia videntur in caput meum conjurâsse. Ab

ini-

inimicis oppugnor , à sodalibus deseror , cum
adversis casibus, cum rerum inopia, cum mor-
borum intemperis , cum hominum insectati-
onibus assiduè conflictandum misero est. Esto:
Quid tamen hoc ad Christianos? Quid hoc ad DEI
servos, quos paradusus invitat, quos gratia omnis,
& copia regni cœlestis expectat? (S. Cypr. ad
Demetr.) Totum id non nisi paucorum die-
rum negotium est , totum ludus quidam , &
mali umbra existimari potest præ summa bo-
norum plenitudine , quæ illi festinat succede-
re. *Omnia (secundum verissimam Salomo-*
nis sententiam) (Eccles. c. 2.) tempus habent.
Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus belli, &
tempus pacis. Vita præsens haud est possiden-
dæ, sed comparandæ beatitudinis tempus.
Hilari, erectoque animo simus. Non longè
abest tempus, quo illâ frui æternùm licebit. In
terris haud aliter, quàm peregrinorum in-
star, quàm veluti in diversorio agimus. *Re-*
gnum nostrum non est de hoc mundo. In cælo si-
tum, *paratùmque nobis à constitutione mundi est.*
Ibi, post peractum brevis hujus viæ cursum,
sempiternam illius possessionem inibimus.
Quidnam igitur refert, si in medio ad felicem
illam patriam itinere experiri cogimur (ceu
refert peregrinantium conditio) aliquam re-
rum

rum penuriam, aliquid five à tempestatum inclementia, five à locorum asperitate difficilis, molesti, & incommodi? Vel unicum degustatæ illius beatitatis, quæ ibi nos manet, momentum ad oblitterandum sat erit ærumnarum omnium memoriam, quas toto mortalis vitæ tractu exhausimus. Minus, quàm pro rei merito dixi: non solùm brevissima quævis illius boni degustatio sufficiet, ad præterita quævis mala oblivioni tradenda, imò & sola ejusdem expectatio sufficit, ad omnem extinguendum in animis nostris præsentium quoque sensum malorum. Quando purpuratorum Patrum aliquis legitima sacri Collegii suffragatione novus B. Petri successor creatur; electi cubiculum spoliare certatim à famulis solet, & omni supellestibile nudum relinquunt. Num igitur ægro ille animo direptionem hujusmodi fert? indignanter vociferans: *Quidnam hoc procacitatis, licentiæque est? itane hostium more in meam cellam impetum fieri, & quidquid five ad ornatum, five ad usum ibi habebam, nè sacro quidem pendentis è cruce DEI signo, & Canoniarum precum Breviario relicto per vim asportari? Quin imò qualemcunque illarum rerum jacturam risui habet: gnarus, quàm exigui sit momenti*

ti præ imperio, quod delatum sibi est, cujusque jamjam possessionem inibit. *Est consuetudinis, ut observat Petrus Chrysologus, est animi felicitatis, ut adscitus ad imperium, quod fuit privatum, mox civibus indigentibus liberaliter pro-roget. (Serm. 23.)* Cur ergo minorem ad nos inter quævis infortunia exhilarandos propinqua cælestis gloriæ expectatio vim habeat? cum procul dubio noverimus, beatitudinem illic nobis fruendam multò plus universis præstare, quibus hic spoliari possumus bonis; quàm Pontificii imperii opulentia, & majestas, exiguam unius cubiculi supellectilem pretio antecellat? Cur minùs solatii, lætitiæque nobis afferat nostra tantò luculentior conditio? Nec potiùs ipsi quoque Christianis veteribus similes, *rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscipiamus, cognoscentes, nos habere meliorem, & manentem substantiam?* substantiam nimirum, non cujusmodi est terrenum quodvis imperium, fructùs perexigui, & caduci, sed immensam, nullòque defecturam tempore, qualis est DEI, boni infiniti, æternumque possidendi fruitio? O substantiam omni pretio majorem! ô sortem, qua nulla fingi potest beatior! perpetuum convivam DEI esse: eodem jugiter vesci, & inebriari,

un-

unde ipse est beatus, infinitæ dulcedinis nectare: tota illi mente, animaque conjungi: perfecti, mutuique amoris vi idem fieri cum illo. Et quæ, amabò, suavior cogitatio volvi animo potest, quàm si famulorum DEI quispiam in cælum oculos tollens, secum dicat, meum est immortale illud regnum, mea omnis illius gloria, & felicitas. Non alia de causa, nisi ut illa potirer, fruerérque, sum natus. Magis in potestate mea est, ad possessionem illius pervenire, quàm terrenum quodvis bonum in manu, arbitrióque sit illud jam possidentis. Dum nemini horum certò constet, immotam se, quamdiu velit, retenturum præsentis sui boni possessionem, nec ullam reperiri extimam vim, quæ invitum, ac nolentem deturbare ex ea possit: quemadmodum certissima mihi constat fide, supremum, æternúmque illud bonum brevi obtentum à me iri, si velim, nec ullam existere sive hominum, sive dæmonum vim, qua prohiberi ab eo queam. Ad summam, *reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Regnum cæleste ad me pertinet, ac mea res dici potest. DEUS illuc me invitat: Angeli venturum præstolantur: nihil præter meum assensum desideratur, ut illud suo tempore ingrediar. Jam sedis tam beatæ vestibulum

lum teneo. Paucos post annos, & fortè solum dies illius mihi fores pandentur, intrà illius penetralia recipiar, perpetuam illius possessionem inibo. Et poterit mœrori esse locus in corde, ubi tam suavis spes viget? Et poterit ulla casuum finistorum amarities felle suo inficere hujusmodi cogitationum dulcedinem? minimè verò subjicit Salomon. (*Prov. c. 12.*) *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Nihil profectò, nihil perturbare hilaritatem hominis poterit; qui cùm justus, atque amicus DEI sit, firmasque adeò beatissimæ illius hæreditatis promissiones teneat, eam assiduè contempletur, expectet, suspiret, & spei alacritate quodammodo sibi reddat præsentem: adeò ut quamvis etiamnum terreni orbis sit incola; cælum ipsum jam incolere videatur: eorum gaudia, quantum mortali fas est, sibi vendicet; &, quod ipsi possident; si minùs re ipsa tenere, saltèm plus quàm sperare videatur: canens cum Regio Propheta, (*Pf. 118.*) *In verbum tuum supersperavi:* experiaturque, quod Jurisperiti statuunt, *spem certam, & indubitatam adeundæ hæreditatis æquivalere possessioni.* O amabilissime DEUS! ô infinitæ dulcedinis pelagus! ô unica, & omnimoda animæ meæ beatitudo! Quid erit

H

præ-

præsentia tuâ frui; si vel solùm te sperare ad
beandum hominem sufficit? *Si spes tam dul-*
cis, quantò res dulcior erit? (Aug. in Ps. 27.)

16. Postremus effectus, & unde omnes
reliqui plus vigoris recipiunt, dulcis est, & as-
fidua summi illius boni recordatio: adeò ut
ceu nihil pluris eo facimus, sic de nulla re alia
libentiùs cogitemus, & crebriùs. Ipsam cer-
tè veritatem divinam audimus, nobis dicen-
tem: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum*
erit. (Luc. 12.) Neque ullum reperire est in-
ter homines, qui vel eximiam dignitatem sibi
quamprimum demandandam expectans, vel
brevis accepturus de sua quapiam non
vulgari lite sententiam, vel aliud simile præ-
manibus habens magni momenti negotium
difficile experiatur, ad objecta hujuscemodi
mentem reflectere. Imò tam procul à vero
est, ulli ipsi ad eam rem opus esse artificio, &
conatu; ut, quando etiam cogitationes indè
abducere, seu somni capiendi causâ, seu aliis
vacaturus ministeriis, & occupationibus vel-
let, illuc tamen quasi ad Princeps suum cen-
trum spontaneo, & inobservato recursum mens
avolet: neque illum sinat, præsentem animo
adesse iis rebus, quas tractat: sed furtim indè
ablatum ad remota illa objecta secum transfe-
rat,

rat, inque illis totum non suavi minùs, quàm efficaci violentia defigat. Eequod verò inflare homini negotium potest, majoris ad suas rationes momenti, quòdque ideo impensius curæ illi esse debeat; quàm æterna, & perfecta suæ animæ beatitudo? negotium videlicet, cujus tanquam ultimi finis sui causâ productus in lucem à DEO est: & ubi non de accidentibus, sed de substantia, neque de nonnullis duntaxat ipsius rebus, sed de toto ipso agitur: ut proinde negotium negotiorum, & summa summarum jure optimo mereatur vocari? Quonam igitur pacto, si rite comperit id habet, suumque finem pro merito æstimat; potest erga illum minùs, quàm toto corde affici? Aut quomodo justissima hac affectione concepta fieri potest, ut ad cogitandum de objecto tam sibi charo ullam suæ menti inferre vim debeat, nec potiùs toto hujusmodi erga illud feratur, inque illo, tanquam in jucundissimo cogitationum suarum pabulo, & centro, quamdiu fas est, conquiescat?

17. Felix enim verò, qui summi illius boni sui imaginem assiduè præsentem ante oculos habet. Quantam indè facilitatem referet, maximo illud quovis pretio parandi, nec se sumptùs quidquam fecisse pro tanta merce

existimans, & si terrenæ totius felicitatis impendio ea sibi staret, quàm vilem, nihilque pendendam præ illo summam omnem rerum humanarum magnificentiam, atque gloriam? Quàm placido animo, sinceræque, & jugi lætitia, inter sævissimos quosque adversorum casuum incurfus fruetur? Talis erat pius ille Abbas Sylvanus, qui, post tempus in divinarum rerum contemplatione exactum, operiebat sibi manibus faciem, nè quid ex terrenis objectis videret, dicens suis oculis, claudimini, age, mea lumina: nihil enim habet terra vestro dignum obtutu. Talis Seraphica Virgo Teresia, quæ, cùm cardialgia graviter laboraret, & princeps fæmina, in cujus domo hospitabatur, ad illius animum ex ea corporis affectione relevandum, suas illi non vulgaris pretii gemmas ante oculos exposuisset; nesciebat, plúsne sibi ridenda, an commiseranda hominum hallucinatio esset, vana id genus crepundia pro magnis ducentium: cogitans simul, quàm nullo ipsa pacto potuisset, etsi maximè conaretur talia in pretio habere, quamdiu æternorum, ac cælestium meminisset bonorum. (*In Rel. vit. c. 34.*) Talis magnus ille Monachorum Pater Antonius, cui ex assidua cælestis gloriæ consideratione tantum

tum hilaritatis non in animi solum penetralia, sed in ipsam quoque faciem redundabat; ut teste D. Athanasio, (*In vit.*) etiam qui nunquam eum antea vidisset, posset nihilominus inter quoscunque alios ex peculiari illa oris lætitia dignoscere. *Semper enim hilarem faciem gerens liquidò ostendebat, se de cælestibus cogitare.* Talis demum, nè longior sim, Ægidius, ex præcipuis D. Francisci alumnis, & sociis: qui vel solo paradisi nomine audito, tanquam si illuc invitaretur, extra corporis sensus animo rapi consueverat. Quare, hoc ejus more passim evulgato, pueri in compitis, & pastores in agris, oblectationis materiam indè aucupantes, inclamitare prætereunti solebant, *Paradisus, Frater Ægidi, paradisus.* Nec plura addere opus erat, ut vir DEI repentè in vestigio consisteret, sibique, & rebus humanis ereptus ad prædulcem illam amoris sui sphæram tota mente avolaret. (*Chron. 1. p. vol. 2. L. 7. c. 11.*)

18. Hos itaque effectus moris est in cujusque animo existere, qui, cum probè cognoverit, quàm infinitum bonum sit DEUS; non potest non simul cognoscere, quàm incomparabilis beatitudo sit æternùm eo frui: effectus quidem tantò semper majores, minorésque,

quantò plùs , aut minùs perfecta est cognitio , unde profluunt. Quos ego propterea explicandos hìc duxi , ut lectorum quilibet eos continenter fovere , & ad ulteriorem perfectio- nis gradum provehere in animo suo studeat : rite sibi persuadens , si tenues , remissique in se fuerint , fieri non posse , quin DEI quoque notitia , & æstimatio ejusmodi sint.

CAPUT VI.

De altissima veneratione , ac reverentia , quæ DEO à nobis debetur.

Reverentia , qua erga quempiam af- ficimur , non aliunde originem ducit , nisi quia ille sit nobis vel insignis alicujus prærogativæ excellentiâ , vel dominationis jure , vel viribus , & nocendi potestate superior. Atque hinc ille honor existit , quo viros prosequimur sanctitatis , doctrinæque famâ inprimis conspicuos. Hinc etiam veneratio , quam suis vel Dominis famuli , vel Principibus populi exhibere cernuntur. Hinc demum communis apud omnes eorum timor , atque observantia , quibus